Poëzia 1337.
Anonymum

Horologium Marian[um]

ob. Estr. XVIII. 559.

C.R. BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS JAGELL. CRACOVIENSIS
1459
I Mag. St. Dr. P

POËTAE POLON.
N. 55.

# HOROLOGIVM MARIANVM.

SEPTEM HORIS

CONCEPTAE ABSQ; MACVLA

*VIRGINI DECANTATIS*

IAM OLIM DISTINCTVM:

Nunc verò totidē Parodiis metro Sapphico donatis,

*ILLIGATVM.*

ACADEMIÆ MARIANÆ

In Collegio Caliſſienſi Societatis IESV.

*A quodam eiuſdem Societatis Religioſo*

AD IPSAM TRIENNII PHILOSOPHICI METAM

SACRVM, DICATVMQ;

Anno Domini M. DC. XLIII.

Menſe Iunio Die XVII.

301.



BIBLIOTHECA
VNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS

1459 I

# MARIANÆ

## PHILOSOPHORVM ACADEMIAE

### IN COLLEGIO KARNKOVIANO SOCIETATIS *IESV*

*E ſtudioſa nobilitate collectæ*

*AVCTOR Perennitatem.*

VEſtra vobis adfero, Mariani Academici, & vel ideò vobis potiſſimum offerenda. Omnino placituras Academiæ veſtræ haſce aliquot pagellas arbitror, cum illud complectantur, quod amorum ſtudiorumq; veſtrorum ſumma eſt. Illud hic legetis Compendium, in quo Deus Orator VERBVM ſuum ſemel & ſemper locutus incluſit, vt abſolutum Sapientiæ ſpecimen in verbo vnico daret. Illi nos horarias hic laudes ex Æternitatis voto dedimus. Et verò à meis ſubſeciuis horis, quibus memet idétidem Apollini indulgebam, quid aliud expectaretis, præter HOROLOGIVM? & quodnam illud æternitati par eſſet, niſi MARIANVM? Ad immaculatum illud Præſidis ac Reginæ noſtræ Conceptum direxi, nullibi commodius infantem calamum exercitaturus, clarius dicam: hic ſaltem aliquid ſine labe maculáq; ſcripturus. Quanquam ipſo hic eti-

am calamo ſepiæq; meæ candorē imperare debui, vt omnino ex integro immaculatam vobis Conceptionem exhiberem. ſed quia concolor nocti ſtylus Lunam MARIAM ambiebat, Vos in candida paginæ innocentia, auitam Virginis Matriſq; noſtræ puritatem adorate; in atrato calami ſudore iuſta originali maculæ perſolui cogitate. Et vos quidem inprimis quibus me Triennalis Philoſophia arctius addixit, Horologio meo (Mariano potius) faciles manus cōmodabitis. Philoſophi, Dum ipſo iam abſolutæ Philoſophiæ veſtræ fine Matrem veſtram adoratis, paruam hanc veluti ſed numeroſam periodum illi me ſubiunxiſſe arbitremini. Philoſophico Triennio veſtro religioſam hanc appēdicem, votiuumq; veluti anathema appono; vt pro Curſus noſtri Deo Termino id nobis ſit, quod ipſius Omnipotētis dexteræ adæquatus quodammodo limes eſt. Valete.

# HOROLOGIVM MARIANVM

## PARODIA PRIMA

### AD MATVTINVM

Iam renaſcenti pudefactus ore
Siderum lætas inhibet choreas,
Et patri iungi Phaëton curules
Imperat Horas.

Iam vagâ Fratrem fugiente Lunâ
Ante venturi rubet ora Phœbi
Manè ſtillato madefacta potans
Iugera rore.

Iam Marianæ duplicata laudi
Aera vocali ſonuère pulſu;
Io ſurgamus, citat alta noſtros
Nola precatus.

Eia mea labia &c.

Surgimus, Virgo, ſimul hinc et inde
Labra conferti animoſa labris
Ad tuas læti ſolito vocamus
Carmine laudes.

Salue Mundi Domina
Cælorum Regina

Iamq; te Mundi Dominam ſonoro
Dicimus cantu: tibi prona ſeruum
Sceptra dat Cælum; tibi ſubiugatus
Militat æther.

Salue Virgo Virginum
Stella matutina

O nihil-tacti retinens pudoris
Virginam virgo! tibi nata Solis
Antelucano cupijt probari
Stella ſereno.

Salue plena gratiæ
Clara lux Diuina

Te, licet natæ genitrix vocaris
Gratiæ, plenam tamen Orbis audit;
Te Dei clarum iubar! increatæ
Gloria lucis!

Mundi in auxilium
Domina feſtina

O relapſuro citò profuturas
Fer manus orbi! celeriq; pigras

Et

*Et moras curru, ſimul & morantes*
*Corripe nubes.*

Ab æterno Dominus

Te præordinauit,

Matrem vnigeniti VERBI.

*Te Deus quondam, ſemel elocuto*
*Fertilis VERBO Pater, ante natas*
*Temporum cunas, nec adhuc adulti*
*Lumina Solis,*
*Virginem, Virgo, geniti Parentem*
*Ordinat VERBI, iuga quo patentis*
*Condidit terras, mare quo ſuis in-*
*fudit arenis.*

Quo creauit
Terram, pontū, æthera:

Te pulchram ornauit
Sibi ſponſam; vt in qua
Adam non peccauit,

*Quo recens natas cohibente ſtellas*
*Te ſibi pulchram melior maritus*
*Addidit ſponſam, vacuans nocentis*
*Crimen Adami.*
*Hæc vbi iunctis tibi ritè palmis*
*Dicimus, Virgo, pudor innocentes*
*Vulnerat calos, roſeiſq; ſignat*
*Nubila plagis.*
*Te ſimul, Virgo, iuga, te caduci*
*Ebriæ roris ſonuêre valles:*
*Te recens feſtis volucrum ſalutat*
*Manè querelis.*

## PARODIA II.

AD PRIMAM.

Domina in adiutoriū meū &c.

Gloria Patri &c.

*Interim gratâ iuuenis favillâ*
*Celſa per, Primam, iuga ſcribit Horam*
*Phœbus, & totum iubar in minores*
*Contrahit vmbras.*
*Si tuam nobis, bona Virgo, dexteram,*
*Et ſalutares ope fauſtiori*
*Porrigis curas, tibi noſter vltro*
*Occidet hoſtis.*
*Tum ter acclini redeunte collo*

*Vni-*

Vnicum in Trino gracili Tonantem
Voce placamus, ſolitos precati
Laudis honores.
Tum ſimul grato variante cantu
Virgo clamaris Sapiens. ſequeſtri — Salue Virgo Sapiens.
Te canunt colles; tibi replicata
Accinit Echo.
O Deo quondam Domus incolenti
Gratior noſci! Domus altiore — Domus Deo grata.
Dignior pinnâ! tibi cedit alti
Regia cæli.
Digna ſeptenis domus in columnis — Columnâ ſeptemplici
Altiùs tolli; tibi larga caſto
Sternitur lino, tibi menſa vino — Menſâq; exornata:
Pane redundat.
Te profanati geniale mundi — Ab omni contagio
Præterit crimen; tibi Diua dandam — Mundi præſeruata,
Sanctitas vitam præit, innocentis — Antè ſancta in vtero
Præſcia partus. — Parentis quàm nata,
Te ſuam, quiſquis meliore vitam — Tu Mater viuentium
Prorogat cenſu, geminat Parentem.
O minùs claudi facilis, ſacrorum — Et porta es Sanctorum.
Porta Quiritum.
Læta ſi mæſtus tegit ora Titan,
Protinus, Virgo, noua ſtella nobis — Noua ſtella ex Iacob,
Ex Iacob ſurgis, placidâq; ſindis
Nubila rimâ.
Te leues picti volucres Olympi
Ritè ſubmiſſis venerantur alis. — Domina Angelorum.
Te ſuam pronus Dominam vocari
Gaudet Olympus.
Iure pallentis Zabuli ſacratus
Diceris terror. tibi namq; virgo — Zabulo terribilis.

Hinc

Acies caſtrorum

*Hinc & hinc firmis populoſa ſurgunt*
*Cornua caſtris.*

Portus & refugium
Sis Chriſtianorum.

*Quo-mari poſthac mea-cunq; nabit*
*Cymba, ſecurum mihi Nauis ipſa*
*Exhibe portum, pia Chriſtianis*
*Ripa phaſelis.*

## PARODIA III.

AD TERTIAM.

*Sed nec Aſcræo vacuus duello*
*Tertiam nobis vehet axis Horam;*
*In Marianas mea fila rurſum*
*Surgite laudes.*

Salue Arca fœderis,

*O perennati laqueata Cedro,*
*Digna legalis radio coronæ,*
*O ſemel pacti, melior vocari,*
*Fœderis Arca.*

Thronus Salomonis,

*Tu Thronus viuo Salomonis auro*
*Inter ardentes radiare gemmas*
*Dictus; & tutò ſuper excubantes*
*Stare leones.*

Arcus pulcher ætheris,

*Te repercuſſis ſimulata flammis*
*Splendidè fuſo micat Iris igne,*
*Dum colorati varius relucet*
*Ætheris arcus.*

Rubus viſionis.

*Quin nec aſpecti renuis Tonantis*
*Te Rubum dici; licèt hinc & inde*
*Te penes circumſtrepat innocentis*
*Ira fauillæ.*

Virga frondens germinis,
Vellus Gedeonis,

*O Deo florens, ſuperiſq; virga*
*Dignior pratis! tibi rorat olim, &*
*Lenè ſiccatur Gedeonis vdo*
*Vellus in agro.*

Porta clauſa Numinis,

*O ſerâ caſti celebrem pudoris*

Numi

*Numinis Portam! cui ſtillat omni*
*Deſluus cellâ fauus in voracis*
*Ore leonis.*
*Iurè te ſanctus genialis olim*
*Conſciam noxæ cauet eſſe Natus;*
*Cûi puer quondam Deus innocentem*
*Incolet aluum.*
*O licèt ſummis ſupereminere*
*Diceris ſtellis, licèt in columnæ*
*Tortilis morem, tibi ſpontè nubes*
*Baiula ſacrum,*
*Aureos inter ſuperûm penates,*
*Fert thronum Virgo; tamen uſq; pronâ*
*Applicans aurem, facilisq; noſtris*
*Annue votis.*

## PARODIA IV.

*Fallor? an Sextam mihi dixit Horam*
*Nola quadrantes vigil inter omnes?*
*Quam frequens circùm rota, temperato*
*Dirigit axe.*
*Si tibi noſtram liceat ſalutem*
*In preces ductis geminare votis,*
*O Parens quondam pueri Tonantis*
*Arbitra ſalue.*
*Te velut votum ſibi ſeruat vna*
*Trinitas Templum: tibi prona Diuûm*
*Alitum pubes, amat expeditis*
*Plaudere pennis.*
*O ſemel vota ſacra Caſtitatis*
*Cella, quam ſanctus Pudor innocenti*
*Peſſulo claudit! pia triſtioris*
*Gaudia mundi.*

Et fauus Samſonis

Decebat tam nobilem
Natum præcauere,
Te ab originali
Labe Matris Euæ,
Almam quam elegerat
Genitricem verè,
Nulli prorſus patiens
Culpæ ſubiacere.

Antiph:
Ego in altiſſimis habito,
Et thronus meus in columna nubis.

AD SEXTAM.

Salue ô Puerpera,

Templum Trinitatis,
Angelorum gaudium,

Cella puritatis,
Solamen mœrentium,

*Hic*

Hortus voluptatis

*Hic vbi picto petulans vireto*
*Aura colludit, tibi ſurgit almæ*
*Hic voluptatis liquidaſq; repit*
*Hortus in auras.*

Palma patientiæ,

*Hic vbi ſutas fugiunt per herbas*
*Virgines riui; patiens grauari*
*Hic tibi nutat viridiq; fulget*
*Palma ſereno.*

Cedrus caſtitatis,

*Aſt vbi celſum caput inter ipſas*
*Promouet nubes Libanus, refuſa*
*Hic tibi Cedrus, mea Virgo, caſtas*
*Porrigit vmbras.*

Terra es benedicta,
Et Sacerdotalis,
Sancta atq; immunis
Culpæ originalis,

*O vetuſtorum benedicta quondam*
*Terra Myſtarum! cui virginales*
*Præterit ſulcos, grauior paterni*
*Culpa reatus.*

Ciuitas altiſſimi,

*Et licet ſummi melior Tonantis*
*Ciuitas audis, cui celſa ductum*
*Sepiunt vallum, & decies reuerſos*
*Mœnia muros:*

Porta orientalis,

*Tu tamen nobis Orientis alma*
*Porta panderis; licet inuiarum*
*Nubium ſeruet vigil obſeratos*
*Vltio poſtes.*

In te eſt omnis gratia,
Virgo ſingularis,

*Iure ſuprema prece ſingularis*
*Audies Virgo, tibi namq; ſacram*
*Et rudem vinci cumulauit omnis*
*Gratia mentem.*

Antiph:
Sicut lilium inter ſpinas,
Sic amica mea inter filias Adæ,

*Tu velut caſtum decorat ſeueras*
*Lilium ſpinas, recreas nocentis*
*Filias Adæ, foliiſq; denſos*
*Protegis hamos.*

PARODIA V. Iam

Domina in adiutoriū meū intende &c.

*Iam ſupinatas minor inter vmbras*
*Phœbus in Nonam ſoboleſcit Horam;*
*Iam fatigatus tepida dies re-*
*-ſpirat in vmbra.*
*Noſq; dum læta fuga muſſat auræ*
*In crucem ductam tibi ſancta dextram*
*Cogimus Virgo, modò tu petitum-*
*-Intende iuuamen.*
*En tibi iunctis reuerenter vlnis*
*Pectus, & celſam cruce frontis arcem*
*Ritè ſignamus; ſimiliq; ſcripti*
*Brachia ſigno,*

Gloria Patri &c.

*Gloriam Patri canimus, ſuoq;*
*Gloriam Nato; licèt hic & ille*
*Inuicem ſpiret ſibi par ſacrato*
*Flamine Numen.*

Salue Vrbs refugij,

*O fugatorum celebris nocentûm*
*Vrbs, reos vitæ, propriæq; quondam*
*Conſcios noxæ patulis clientes*
*Excipe portis.*

Turriſq; munita Dauid propugnaculis

*Quin & armatis ſinuata pinnis*
*Emines Turris: cui grande Dauid*
*Robur, & firmis dedit alta propu-*
*gnacula muris.*

Armiſq; inſignita.

*Cui repercuſſi radius Phanetæ*
*(Dum leuis puro Ione videt æther)*
*Et timens vinci iubar in politis*
*Palpitat armis.*

Tu in Conceptione Charitate ignita,

*Te celer primos Amor inter ortus*
*Splendidis caſtæ radijs fauillæ*
*Vſſit illuſtrem, teneroq; paruam*
*Induit igne.*

Infernalis poteſtas Eſt á te contrita;

*Tunc licèt nullo grauis in cothurno,*
*Nec ſatis firmis ſolidata plantis,*

Eia mulier fortis,
Et inuicta Iudith,

*Subdolum Diti caput, & ſuperbos*
*Conteris artus.*
*Te ſimul vitam Syrijs in vno*
*Amputans collo, famulis adorat*
*Laureis Iudith, tibi cedit altos*
*Spontè triumphos.*

Pulchra Abiſac virgo,
Verum fouens Dauid,

*O fouens verum, ſine labe Dauid*
*Virgo, Ieſſēi bona virga trunci,*
*Se tibi ſacras Sunamitis vltrò*
*Sternit ad aras.*

Rachel procuratorem
Ægypti geſtauit,
Sed Saluatorem mundi
MARIA portauit.

*Qui Thetin Nilo, Phariæq; mundum*
*Prætulit terræ, ſimul & Ioſepho*
*Prætulit IESVM, ſimul & Rachelī*
*Ille MARIAM.*

AD VESPERAS

## PARODIA VI.

Salue HOROLOGIVM,

*Quid mihi ſcriptas ſtylus alter horas*
*Sæpe promotis variabit vmbris?*
*Ite, nil obſtat, procul, inquieti*
*Ite quadrantes.*
*Tu mihi poſthac, bona Virgo, certas*
*Diuides horas: tibi veriores*
*Phœbus Horarum Pater, hinc & inde*
*Prænotat vmbras.*

Quo retrò trahatur
Sol in decem lineis,
VERBVM incarnatur,

*Quin vt Aeternum meliore VERBVM*
*Carne veſtires, decimam reuerſus*
*Lineam Phœbus facileſq; retrò*
*Traxit habenas.*

Homo vt ab inferis
Ad ſumma tollatur,
Immenſus ab Angelis
Paulò minoratur.

*Sic & infernis homo de lacunis*
*Altiùs, ſurgit, ſocijſq; iunctus*
*Angelis paulo-minus eminenti*
*Cedit honore.*

Solis huius radiis
MARIA coruſcat,

*O ab æterni radijs Planetæ*
*Virgo contexta radiata palla!*

Te

Te vigil Titan mediam ſereno
Palliat auro.
Cùm tuum, fixo attonitus ſtupore,
Volue Conceptum, mihi te pudicã
Tollis Auroram, quoties diurnas
Excitat horas.

*Vt conſurgens Aurora*
*In Conceptu micat.*

Hic tibi, Virgo, magis innocenti
Candidum lino, licèt in moleſtis
Lilium ſpinis, hiat alba caſto
Oſcula labro.

*Lilium inter ſpinas,*

Tu, tuas Nato grauidante palmas
Arduum preſſo Stygis in cerebro
Pondus aſſurgis, graue ſubiugati
Pondus Auerni.

*Quæ, ſerpentis terat*
*Caput;*

Si quis horrentes vagus inter vmbras
Errat, albentes radios honeſto
Comis argento; niueoq; Lunam
Allinis igne.

*pulchra vt Luna*
*Errantes colluſtrat.*

O perennatis Cynoſura lucis.
Tu ream noxæ nebularum amictu
Protegis terram, tenuiq; celas
Crimina nube.

*Antiphon:*
*Ego feci in cælis vt &c.*
*Et quaſi nebula texi &c.*

At ſimul denſa comitatus vmbra,
Siderum viuas ſuperis lucernas
Veſper in rimis, nimioſq; labi
Suſcitat ignes.
Iamq; te noſtris canit euocata
Barbitis Echo; tibi Virgo feſſus
Se dies ſternit, tibi ducit altas
Luna choreas.
Meq; vocales imitatus inter
Montium cliuos, tibi lætiorem
Veſper applauſum dedit, ô ſequeſtri
Gloria veris!

Te

*Te ſibi tutis hilares ſub vmbris*
*Garriunt ſtellæ, tibi mitigatus*
*Lenè ſuſpirat Notus, & quietis*
*Dormit in alis.*

## PARODIA VII.

AD COMPLETORIVM.

*Vltimus noſtræ labor eſt Camœnæ*
*Vt leuē molli comitāte cantum*
*Tibiâ, nuper tibi, Virgo, votis*
*Compleat horas.*

Conuertat nos Virgo tuis precibus placatus &c.

*O tuis ſuetus precibus rogari*
*Nos ad æternæ propylæa Lucis*
*Ritè conuertat Deus, & ſeueram*
*Exuat iram.*
*Tuq; feſtinum dominâ iuuamen*
*Annuens dextra, grauiore noſtri*
*(O Stygis iuſtus timor) hoſtis iram*
*Stringe catena.*

Domina in adiutoriū meū intende &c.

*Tunc ter inflexi capitis minores*
*Cùm Paracleto ſimul æuiternam*
*Et Patri & Nato, ſolito canemus*
*Carmine laudem.*

Salue Virgo nobilis,

*Iamq; votiuum tibi ſæpe SALVE*
*Nobilis Virgo, canit, hinc reclinis*
*Et pedum plebes minor, hinc reductis*
*Veſper in antris.*

Mater illibata,

*Caſta ſis Virgo licèt; illibata*
*Audies Mater, cui ſe maritus*
*Siderum Patris pudor innocentis*
*Iunxerat igne.*

Regina clementiæ,

*Iure ſubmiſsis pedibus, propinquo*
*Cernui collo, tibi Comitatis*
*Addimus ſceptrum, melior ſacri Re-*
*-gina fauoris.*

Nam

*Nam tibi ſparſos ſine lege crines*
*Hac refrænari licuit corona*
*Quam ſuperfuſis vigil è Planetis*
*Texuit æther :*
*Iure formoſæ face Puritatis*
*Virgines picti ſuperas Olympi*
*Angelos nullo maculata quondam*
*Crimine mater.*
*Iure ſupremi Dominam Monarchæ*
*Occupas auſu meliore dextram ;*
*Ardet è puro tibi namq; palla*
*Sutilis auro ;*
*Per tuas ergo , grauis educatâ*
*Gratiæ Mater; Sacra ſeu Reorum*
*Ara conſurgis , bona ſeu rei Fi-*
*-ducia mundi.*
*Seu graues moti Maris inter iras*
*Stella luſtraris, trepidis patronum*
*Naufragis portum, placitoſq; præbens*
*Aetheris ignes :*
*Siue concluſi referas patentem*
*Ianuam cæli , tremuliſq; pacem*
*Imperans morbis ; querulo ſalutem*
*Diuidis ægro :*
*Per tuas , inquam , pia Virgo, curas*
*Hic vbi viui patet aula cæli*
*Vnicum & trinum videam propinquâ*
*Luce Tonantem.*
*Hic vbi ſudo liquidum ſereno*
*Balſamum fulget , mihi ſuauè fragrans*
*Nomen effundis ; tibi quiſq; ſacro*
*Ardet amore.*
*Sed quòd ignitis oculata ſtellis*
*Cælici ſomnum fuga ſuadet orbis,*

Stellis coronata:
Supra omnes Angelos
Pura immaculata,
Atq; ad Regis dexteram
Stans veſte in aurata.
Per te Mater Gratiæ,
Dulcis ſpes reorum,
Refulgens ſtella maris
Portus naufragorum,
Patens cæli ianua,
Salus infirmorum,
Videamus Triadem
In aula ſanctorum,

Antiph.
Oleum effuſum Maria
nomen tuum &c.

Sponte

*Sponte decreſcit tibi noſtra prono*
*Fine Camœna.*

ET hactenus quidem vota mea, laudes Tuas, ô Virgo Mater, pedeſtri hâc oratione proſequi conabar. iã vnicum reſtat, quod ad Pöeticorum pedum humilitatem abiicere non ſum auſus: Tuis illis, quibus Lunam calcas, adſterno libentiſſimè. Religioſa Horarum ſingularum appendix iam ipſa ætate & ſanctitate ſuâ grauis, ad numeros Lyræ flecti decenter haud poterat: eam proinde extra cantûs lenocinia, tanquam intercalare idemq; vltimum Horarum omnium Votum hic appono. Præſtat abſq; Lyræ chordarumq; ſtrepitu cãdidâ ſynceraq; oratione ſupremum Horologii mei indicem coronari; vt vel ſic in fine ipſo Religioſus agnoſcar. Igitur iam aſſuetas votis noſtris aures Tuas vt expugnem facilius, robuſtiore hâc periodo eas oppugnare aggredior.

*SAncta Maria, Regina cœlorum, Mater Domini noſtri Ieſu Chriſti, & mundi Domina, quæ nullum derelinquis, & nullum deſpicis: reſpice me Domina clementer oculo pietatis, & impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum: vt qui nũc tuã Sanctã Conceptionẽ deuoto affectu recolo, æternæ in futurũ beatitudinis brauiũ capiã, ipſo quẽ Virgo peperiſti donante Domino noſtro Ieſu Chriſto: qui cum Patre & ſancto Spiritu viuit & regnat in Trinitate perfectâ Deus in ſæcula ſeculorum. Amen.*

A. M. D. G

ET SINE MACVLA CONCEPTÆ VIRGINIS HONOREM.